





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.


*Abel*  
3



DE *De* 9177  
OFFICIO PII  
AC PVBLICAE TRAN-  
QVILLITATIS VERE A-  
mantis viri, in hoc Religionis  
dissidio.

AVCTORE G. CASSANDRO.

*Postrema editio, juxta priorem  
anni M. D. LXI.*



LUGDUNI,  
Sumptibus LAZARI ZETZNERI.

M. DC. XII.



---

Reperies in hoc scripto, Lector, non solum expeditissimam controversiarum, quibus miserè adeò laborat hodiè Ecclesia, componendarum rationem: sed etiam, quo pacto veræ pietatis atq; concordia Christianæ ex animo studiosus, durante isto dissidio, optimè se gerere in quavis Republica possit ac debeat.

Ceterùm brevi habebis hujus auctoris Consultationem super articulis in religione controversis, quam mandatu Cæs. Ferdinandi & Maximiliani cōscripsit. In utroque scripto Cassandri pietatem, candorem & eruditionem agnosces,

Vale & utere



3

DE OFFICIO PII VI-  
RI IN HOC ECCLESIAE  
dissidio.

**N**ON ignoroper multos esse, qui  
in hoc miserabili Ecclesiae dissi-  
dio, quo ferè hodie Chris-  
tians orbis colliditur, vehemē-  
ter angantur animi, & tanquā inter duos  
scopulos natent & remigent. qui cum salu-  
ti suae consultum velint, quid fugiant vi-  
dent, quò autem fugiant, videre nondum  
potuerunt. Qua cogitatio ipsa me quoq̄ jam  
olim exercuit, & tanquam procella huc il-  
luc impulit: donec tandem portū aliquem,  
in quo acquiescam, reperiisse mihi videor.  
Itaq̄, quae mea in hoc perplexissimo negotio  
sententia sit, non gravabor breviter & di-  
lucidè explicare: tum ut huius instituti &  
propositi mei rationem, pietatis & equita-  
tis studiosis hominibus reddam tum etiam,  
ut iis qui eadem cogitatione jaçantur, ex-  
emplum, quod (si placet) sequi possint, pro-  
ponam. In primis hoc testatum volo, me  
hanc viam, quam in questionibus & con-  
troversis



troversis Religionis s̄ quor non alia de cau-  
 sa s̄ scepisse, quàm quòd tam post longam  
 & diligentem inquisitionem, rectissimam  
 & tutissimam esse iudicem: eamq; ad pa-  
 cificationem & concordiam constituendã,  
 quàm accommodatissimam esse putem. Ro-  
 gatos autem volo eos qui in hoc scriptum  
 incident, ut quo animo eos fero qui à me in  
 nonnullis rebus dissident, modo in funda-  
 mentis Religionis nostra consensio sit, eodẽ  
 animo me quoq; ferant alicubi forè ab iis  
 dissentientem: quod me à piis & aqvis vi-  
 ris impetraturum confido.

Equidem jam inde ab adolescentia cõ-  
 stitutum & ceremoniarum Ecclesiasti-  
 carum observantissimus fui: sic tamen, ut  
 natura, vel divino potius impulsu, omnem  
 superstitionem, quam tum utcumq; depre-  
 hendere videbar, vehementer detestatus  
 sim. Mox ita q̄, cum in lectionem scriptorum  
 hujus ætatis, qui reformationem quandam  
 & repurgationem supersticiosorum cultuũ  
 & absurdarum opinionum promittebant,  
 inciderem, mirè illorum institutuũ placuit  
 qui tamen ita superstitiones & abusiones,  
 qua nonnullis ceremoniis Ecclesiasticis ad-  
 mixta



mixta erant, exosas haberem, ut ipsam Ecclesiasticam politiam, quae his caeremoniis ferè constat, non sublatae & everfae sed repurgatae & emendatae esse vellem.

Postea aetate & iudicio accrescente, visi sunt mihi in his abusibus & corruptelis notandis & insectandis nonnulli integri & honesti prohilire: idemque illis accidere, quod iis qui cum putres & corruptas corporis partes praecidere volunt, etiam sanam partem, & quae sine corporis gravi offensione & latione tolli non potuit, invadunt: non paucos etiam scabie, ulceribus & vitis corporis offensos, ipsius corporis odium concepisse, & procuratoribus, hostis & insectatoris personam induisse.

Itaque putavi, mihi & eorum scripta, quos illi ut adversarios invadebant, eadem diligentia perlegenda, & pari attentione & iudicij aequitate inter se conferenda: in quibus adversariis, ut in astucõentionum accidit, nonnulla quoque offendebant. Nam mihi quidem ita videbatur, ut illos odio vitiorum, etiam quae sana, aut certè medicabilia erant, praecidenda & removenda cõtendisse: ita hos contra, caco quodam amore

corpo-



corporis etiam viciata & morbida, tanquam sana & bene habentia, tuenda suscepisse.

Cum igitur utrique à regia via, hi quidem in dextram, illi verò in sinistram non nihil deflexisse viderentur, ad ipsam directam regiamque viam inquirendam mandato divino me cogi & impelli putabam. Quare ut certius aliquid de hac re cognoscerem, & certum aliquod firmumque iudicium de his controversiis compararem, statui mihi ab omni partium studio abstinendum, & personarum prejudicium seponendum, libertatemque iudicandi (quæ, nisi exuta partium & personarum affectione, constare non potest) retinendam.

Itaque mihi iudices & arbitros in hoc difficilimo & arduo negotio adeundos, & consulendos esse curavi. nullumque firmitus & certius iudicium inveniri, quam si ipsa Scriptura sacra, ejusque vera & sana intelligentia proponatur. Satis enim deprehendebam, non nudam ipsam Scripturarum contextum, sed ipsarum Scripturarum intelligentiam, in questionibus Religionis dijudicandis adhibendam & consulendam. Primò, quia Apostoli doctrinam Christi, que



compendio his scriptis continetur, multo pluribus verbis, populis ad quos destinari erant, exposuerunt & explicarunt: tum etiam, quod haereses, quamox ab Apostolorum è vita excessu existerunt, cum pleræque Scripturam ipsam jam ab omnibus receptam, negare non possent, de intelligentia tantum Scripturae questionem movebant. Quare non verbis, quæ illis cum Orthodoxis communia erant, sed verà intelligentia & scientia divinarum literarum confutandi erant: quæ intelligentia petenda erat, à communi consensu & publico testimonio omnium Ecclesiarum, quibus doctrinam à Christo acceptam, tanquam depositum quoddam Apostoli commendarunt. Nam qui nobis initio veram hanc & germanam esse Christi & Apostolorum doctrinam, quæ in scriptis continetur, suo testimonio approbarunt: iidem sanè & mentem ipsam & intelligentiam eorundem scriptorum, quam ex viva ipsa & amplissima Apostolorum doctrina acceperant, posteris tradiderunt. Irenæus lib. 3. cap. 2. & 4. Tertull. de præscript. hæret.

Atque hæc est, quæ Catholica traditio & veritas non scripta à nonnullis appellatur.

Quan-



Quamquam in iis qua fidei quaestiones attingunt, nihil est quod Scripturis sacris non aliquo modo contineatur: cum haec traditio nihil aliud sit, quam Scripturae ipsius explicatio & interpretatio: ita ut non ineptè dici posset, Scripturam esse implicatam quamdam & obsignatam traditionem, traditionem vero esse Scripturam explicatam & resignatam.

Non ineptè igitur Vincentius Lyrinensis, qui sub aetate Augustini vixit, cum iam multa & varia haereses Ecclesiam vexarant, & exercuerant, eum qui se adversus haereses omnes munitum & tutum esse velit, hac duo sibi proponere debere confirmat: Canonicam auctoritatem, & Catholicam traditionem. Non, quin Canonica auctoritas sufficiat: sed quod Scripturae verba in varias sententias ab impiis & imperitis hominibus distrahantur. Quare certam aliquam sententiam constituendam qua à Catholica traditione petatur. Quae quidem Catholica traditio tribus notis deprehenditur: antiquitate, universitate & consensione.

Huius intelligentia ex Catholica traditione: id est, antiqua, perpetua & universali



CASSANDRI.

sali consensione necessitatem, hodie quoque  
deprehendimus. Nam, exempli causa, hæc  
verba. In principio erat Verbum, quin ab  
Apostolis scripta sint, nemo inficiatur. De  
intellectu autem hujus vocis VERBUM, in-  
gens certamen est: & qui diversam ab Ec-  
clesia sententiã sequuntur, non minus pro-  
babilibus rationibus nituntur. Nos autem  
ex perpetua hac traditione, & antiquissi-  
morum Patrum concordissimis scriptis, &  
veterum Conciliorum gravissimis decretis  
ad nos usque propagata, per λόγος non propo-  
situm aut διὰ θεου, non ideam quandam &  
formam in mente divina, sed personam &  
ὑπόστασιν significari credimus. Idem accidit  
in his verbis, Verbum caro factum est: Ego  
& pater unum sumus: & multis similibus,  
quæ explicare longum esset.

Cum autem questionum religionis qua-  
tuor sint genera, quarum alia disciplinam  
& ceremonias spectant: quod ad prius ge-  
nus attinet, Primum eam doctrinam ut ve-  
ram & Catholicam habendam esse judico,  
quæ sacris literis est expressa: Deinde, quæ  
ex mente & intelligentia earumdem lite-  
rarum ab ipsis usque Apostolorum temporibus



est tradita, & per successionem ad nos usque derivata quarum utramque pari fidei integritate amplectendam duco. Tertio loco est, quae ab omnibus Ecclesiis, vel majore certe parte est recepta, & probabilibus rationibus è sacris literis confirmata. Hanc quoque pro cuique suscipiendam existimo: quamvis ingeniosis hominibus rationes occurrere possint, quibus probabiliter refutetur. Quarto loco questionum quoddam genus est, quae neque tam claris Scripturae testimoniis, neque tam antiquo & magno consensu Ecclesiae nituntur: tamen posterioribus temporibus, in hac praecipua Occidentali Ecclesiae parte constituta & recepta sunt: quae cum divinis literis manifestè non repugnent, in earum confutatione neque pugnaciter agendum, neque ea de causa Ecclesiarum pacem perturbandam puto. Quod si sententia aliqua jam omninò recepta & firmata, minus probabilis videatur, de ea tamen non passim & odiosè contendendum, sed cum eruditis & moderatis viris placidè inquirendum & discutendum existimo. Quae autem certorum hominum quamvis doctorum, probabilibus disputationibus asseruntur,

tur.



tur, ita ut aly aliter de ijs sentiant, liberam  
cuique quid velit sequendi potestatem esse  
constat. Si qua vero sententia & divinis li-  
teris, & veteris Ecclesie traditioni adversa,  
& per errorem vel imperitiam, veletiam  
ambitionem postremis his & corruptissimis  
temporibus invec̄ta videntur, eas ut fermē-  
tum vitandas & cavendas non nego. sic  
tamen, ut privato homini temerè apud quos  
vis de ijs contendendum non putem, ubi  
certa offensio, profectus & utilitatis nulla  
spes. Itaque prudentiam eam Christianam  
hic adhibendam, ut non temerè & passim  
ubique dicas quicquid sentias, neque ta-  
men unquam dicas contrà quam sentias:  
ubi verò gloria Dei vel proximi utilitas po-  
stulat, liberè & constanter dicas quod sen-  
tias.

De ceremoniis vero qua ordinis in Ec-  
clesia conservandi, vel disciplina in populo  
constituēda causa instituta, vel usu recepta  
sunt, ita statuo: Ceremonias, qua à Christo  
ad colligendam novi populi societatem in-  
stituta sunt, & Sacramenta vocantur, castè  
& integrè observandas, nihil eorum insti-  
tutioni tāquam mutilatis & imperfectis ad



dendum, neq; ut superfluis detrahendum. Interim Apostolis eorumq; successoribus jus potestatemq; concessam credo, ut pro tempore & utilitate Ecclesiae ritus quosdam & ceremonias instituerent, quibus in publicis Ecclesiae conventibus sacramenta illa divinitus administrarentur: tum etiam quibus disciplina populi tanquam politicis quibusdam legibus sine quibus societas nulla consistere potest, regeretur & contineretur. Et iis autem ritibus & ceremoniis quaedam per universum orbem summa consensione jam inde ab ipsius Ecclesiae initiis observata, & ad nos usque sunt propagata quarum cum rationes perpetuae sint, perpetuam quoq; observantiam esse convenit. Quare traditionum Apostolicarum & consuetudinum universalium appellatione commendantur. De iis assentior B. Augustino, scribenti ad Ianuarium: In observatione Ecclesiasticarum consuetudinū hanc rationem tenendam, si quid Scripturae divinae praescribit auctoritas, non dubitandum esse, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum



eiendum omnibus sit disputare, insolentissima esse insania. Huiusmodi majorum constitutiones observandas esse, ex Apostolicis actis dicimus: Actor. 16. ubi legimus, Paulum, & ei adjunctos, non tantum expressa Dei mandata oppidatim docuisse, verum etiam observari tradidisse decreta quae ab Apostolis & senioribus erant ordinata.

Illud tamen verum est, ex iis qui olim per universam ferè orbem observabantur ritibus quosdam aut quia non tantum momenti habere putabantur, aut temporum commutatione utiles esse desierant, aut intemperantia populi in abusionem venerat, paulatim desuetudine esse abrogatos. Nec inficior, alios quoque, ejusdem generis etiam hodie publica auctoritate, modo id quam minimo scandalo fiat, abrogari posse. Nonnulli quoque, adhuc antiquissimi ritus in Ecclesia reliqui sunt, quorum huc usque vestigia, & tanquam lineamenta servantur, quamvis ab ipso fine & usu, ad quem initio instituti sunt, non nihil deflexerint: quos tamen, donec legitima auctoritate aut prisco suo fini restituantur, aut etiam ex usu removeantur, pacis & unitatis studio



observandos existimo. Contrà, nonnulli ritus olim universales, & summa religione, ut Apostolica traditionis observati, tandē paulatim obsoleverūt: quos, ut ego quidem existimo, in usum rursus revocari per legitimam auctoritatem, quàm minima fieri possit perturbatione, conveniat.

Sunt & alii quidam ritus certarum Ecclesiarum proprii, sed longa consuetudine confirmati, qui per loca terrarum regionesq; variantur. De iis regulam à B. Augustino præscriptam tenendam sentio: Quod neq; contra fidem, neq; contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum. Item ad Casulanum: In iis rebus, de quibus nihil statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt. De quibus si disputare voluerimus, & ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio. Et postea: Sit ergo, inquit, una fides universæ, quæ per orbem dilatatur, Ecclesia, tanquam intus in membris, etiam si ipsi fidei unitas quibusdam diversis observationibus celebretur, quibus nullo modo quod in fide verum est impeditur. In eandem sententiã



B. Hieronymus scripsit Lucinio: Traditiones Ecclesiasticas, praesertim quae fidei non officiant, ita observandas, ut à majoribus tradita sunt, nec aliorum consuetudinem aliorum contrario more subverti.

Non tamen praetereundem hoc loco est, quod eidem Ianuario scripsit Augustinus: Quae scripturis non continentur, nec in conciliis statuta, nec universali consuetudine confirmata, sed pro regionum & hominum moribus variatur, oblata facultate rescandanda sunt, etiamsi fidei non videantur adversari: quia religionem, quam Christus liberam esse voluit, servilibus oneribus premunt.

Illud autem in primis observandum est, in his ritibus & observationibus multis modis vitium accidere posse. Uno modo, cum iis ritibus, quorum bonus usus esse potest, falsa opinio & alienus finis adfingitur: quae opinio cum in animis hominum & non rebus ipsis insita sit, recte sentienti legitimeque, uti praedjudicare non potest. Aliquando ritus ad pium usum instituti, superstitione populi in abusum vertuntur: qui abusus publica auctoritate tollendi, privata autem cautione vitandi sunt: bonus autem usus, si quis est, retinendus.



Scitè dictum est à quodam scriptore Italico nostra aetate: Tanti non debet esse ullus abusus, ut propter ipsum tollatur bonus usus. At magis pro conservando bono usu, corrigendi sunt abusus, si qui sint in Ecclesia. Quanquam hac superstitione usque eò invalescere potest, ut publica auctoritate re quoque ipsam, cui superstitione adjuncta est, è medio tolli conveniat: ut de aneo serpente ab Ezechia rege factum legimus.

Nonnulla quoque hujus generis constitutiones sunt, quæ quamvis exiguum usum habere videantur, tamen unitatis retinenda & scandali vitandi causa servanda sint. Alia ejus generis sunt, ut cum plerunque utiles esse possint, tamen non raro tempus incidit, ut privatim earum observatio vel impossibilis vel noxia sit: ut in jejuniis & delictu ciborum haud raro egrotis & debilibus accidit. Hic à verbis statuti ad mentem institutoris & Ecclesiae confugiendum esse non dubito. Non diffiteor tamen, postremis hisce temporibus, unà cum ignorantia, avaritia & ambitione, supersticiosos quoque nonnullos cultus & ritus in Ecclesiam irrepsisse, ita ut vitium ipsis rebus inhereat, ipsorumque obser-



observatio fidei integritati officiat. Hos ut publicè per eos, quorum in Ecclesia summa potestas est, tollendos: ita privatim cuique agnoscenti cavendos, neminem inficiaturumputo.

In horum autem rituum dijudicatione dupliciter error accidere potest. Primum, si nimio odio superstitionis, ij ritus qui tolerari, citràque impietatem servari possint, pro noxijs & impijs temerè damnentur & abijciantur. Rursum, si cæco caremoniarum amore, & inconsiderato Ecclesiastica potestatis zelo superstitiosi & impuri ritus pro religiosis & sanctis defendantur & exigantur. Quæ tamen dijudicatio homini in rebus Ecclesiasticis utcunque versato, nulloq; partium aut personarum studio præpedito, haud ita difficilis erit.

Hæc de doctrina & caremoniis sententia mihi post divini spiritus implorationem harumque controversiarum sepositis partium studiis ad arbitrium divinarum literarum & antiquæ perpetuæq; traditionis, quæ in verustis Patrum scriptis & conciliorum antiquorum decretis extat, explorationem, vera, Christiana, Catholicòque homini pacis-



que & Ecclesiastica unitatis studioso digna  
& conveniens visa est.

Cum igitur in hac Ecclesia Occidentali  
sive Romana, in qua nati, & in Christo re-  
generati, cuiusque per Baptismum (quantum  
ad externam conversationem) cives & membra  
effecti sumus, professio Christiani nominis,  
Scripturarum auctoritas & doctrina illa A-  
postolica, quod ad capitales Religionis arti-  
culos attinet, retineatur, sacramenta que ut  
sunt à Christo instituta servantur (quavis  
in Eucharistia celebratione & dispensatio-  
ne non nihil vitij videri possit) & in multa-  
rum ceremoniarum & rituum observatione  
prisca adhuc Ecclesie imago in ea conspiciat-  
ur: adhuc perpetua presbyterorum seu Episco-  
porum, quamvis multum à prisca integrita-  
te degenerantium, jam inde ab Apostolis suc-  
cessionem gubernetur: hanc inquam Ecclesiam  
ut veram Ecclesiam & domum templumque  
Dei, magnamque illius & Catholicæ Ecclesie  
non contemnendum membrum, non pos-  
sum non amplecti & venerari. Quamvis  
non infior, eandem illam Ecclesiam à pri-  
sco suo illo decore & splendore non parum  
diversam, multisque morbis & vitiis defor-  
matam,



matam, nonnunquam & gubernatorum tyrannide miserabiliter pressam.

Porro hac ideo huic externa societati, quã Romanam vel Occidentalem Ecclesiam vocamus, attribuo, quòd in ea Dei verbum ejusque sacramenta servantur, & ingens (uti spero) electorum multitudo, qui revera Christi Ecclesiam & sponsam constituunt, intra eam contineatur: quamvis permulti, iique illustres in ea societate sint, imò regnũ & gubernationem obtineant, qui ad Christi Ecclesiam minimè pertinent, atq; adeò Christi ejusque doctrinae hostes sunt, ac tãquam alieni in ea tyrannidem exercent.

Pulchrè Augustinus, De unic. baptis. lib. 7 cap. 15. alios ita esse in domo Dei ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quæ dicitur edificari supra petrã: alios verò ita dici esse in domo ut non pertineant ad compagem domus, nec ad societatem pacificæ fructiferæq; justitiæ, sed sicut esse dicitur palea in frumentis, &c. & ibidem libro 4 cap. 13. Sunt, inquit, & intus hostes Dei, quorum pectora obsedit spiritus Antichristi: & tamẽ gerunt spiritualia & divina, &c. Quare quæ in hac Ecclesia sana & verè Ecclesiæ Christi cõsentanea sunt, religiõse



grosè amplector: quæ non nihil vitiosa, modo non impia, cum tollere non possum, pacis causa tolero. Si qui autem graviores morbi sunt, qui omnino medicationis indigeant, contagionem ita vito, ut tamè corpus ipsum non cum acerbitate insectandum, sed summo cum animi dolore commiserandum, & si qua fieri potest, ei opitulandum esse putem.

Interim tamen eos damnare non possum, qui in fundamentis Apostolica doctrina persistentes, studio sincera Religionis, cum aliqua correctionis indigere, ab eruditis & piis viris admoniti intelligant, in aliqua Ecclesie parte, praeunte summa auctoritate, accedente communi illius Ecclesie consensu, in doctrina genere aliqua repurgarunt: & caeremonias aliquot etiam vetustiores, cum id populi magna utilitas & propè necessitas exigat, auferendas, aliasque pietati & discipline convenientiores sufficiendas esse putant: modo id quam minimo scandalo & perturbatione fiat, & communio spiritus & vinculum pacis cum reliquo Ecclesie corpore conservetur. Quis enim membro vitio vertat, si reliquo corpore laborante, & sui curam negligente, ipsum sui curam suscipiat?



at? non ut reliquo corpori insultet, sed curandi exemplum praebeat, & ad imitationem invitet?

Eos igitur qui in his caetibus ita versantur, ut nihil aliud quam Christi gloriam & Ecclesiae eius instaurationem quaerant, totoque animo ad Ecclesiae pacem & unitatem incumbant, & cum reliquo Ecclesiae corpore, etiamsi quadam rituum & opinionum diversitate discrepent, charitatis tamen vinculo colligentur, à Christo capite & corpore eius, quod est Ecclesia, separare & remove-re non possum: quamvis à nonnullis, omnem Ecclesiae instaurationem & reformationem vel inconsiderato zelo, vel privato animi morbo aspernantibus, ut haeretici schismatici, & Ecclesiae hostes traducantur & condemnentur.

Illos verò probare minimè possum, qui ita à Romana Ecclesia abusibus & corruptelis recedere voluerunt, ut ab ipsa Ecclesia defecisse, seque ab omni eius consortio & communione separasse videantur. Quare non ad eam medicandam & instaurandam, sed perdendam potius & evertendam omnia sua studia conferre videntur. Quemadmodum



modum rursus in iis qui Romana Ecclesia gubernatores & propugnatores haberi volunt, illud improbandum existimo, quod morbum nullum agnoscunt: & quod huic rei consequens est, remedia non admittunt: immo de correctione admonentes, & ad curationem exhortantes, operamque suam ad id efficiendum offerentes, non modo rejiciunt, & ab Ecclesia societate depellunt, verum etiam multis in locis crudeliter interficiendos censuerunt: qua res huic miserabili schismati occasionem dedisse videtur.

Neque tamen satis causa est, cur huic cœtui Ecclesia catholica nomen detrahatur, quod multi, qui eam gubernant, rectè monentes persequantur: neque enim id Ecclesie tribuendum est, quod falsorum & infidelium gubernatorum vitio committitur. Nam & in Evangelio servus infidelis super familiam Dei constitutus legitur, & Christus de Hierosolymitanis queritur, Luca 12. quod occiderint prophetas, & lapidaverint eos qui ad se missi fuerant: cujus tamen Ecclesie communionem & antè Prophetas, & Christus ipse, pique atate Christi homines

(us)



(ut Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Iosephus) non defugerunt.

Neque errores tum doctrina, tum humanarum traditionum, qui in ea obtinuerunt, ad auferendum Ecclesie titulum sufficiunt: cum in Ecclesia Hierosolymitana, in Pontificibus & Phariseis, qui eius gubernationem tenebant, huiusmodi errores Christus ipse notarit, & reprehenderit, cum à fermento Scribarum & Pharisaorum cavendum monet, & eosdem severe increpat, quod irrita faciant mandata Dei propter suas traditiones: nec obscure eos insinuat, quod frustra ab ipsis colatur doctrinam & mandata hominum docentibus. Idem tamen Christus admonet suos, ut in cathedra Moisi sedentes, id est, summa auctoritate & potestate in Ecclesia Dei ex instituto Moisi fungentes, audiant: recte ex prescripto divinae legis momentibus pareant: quamvis opera illorum, doctrina, quam profitentur, minimè consentiant.

At dicunt nonnulli, è vera quidem Ecclesia produsse Papistas, quos vocant, sed per falsas & novas opiniones & impios cultus ab ea defecisse: quare ab iis tanquam ab

Anti-



*Antichristi Ecclesia & Diaboli synagoga  
quàm longissimè secedendum, nullamque  
cum ea communionem habendam.*

*Verùm illud mihi vide. Longè aliud est  
à puritate & sinceritate tum doctrina tum  
morum qua verus & primitiva Ecclesia  
floruit, degenerasse: & ab ipsa veteri Eccle-  
sia prorsus defecisse. Ecclesia enim ab ipso  
fundamēto quod est Christus pro nobis mor-  
tuus & resuscitatus, aestimanda est: cui fun-  
damento si posteripro auro & argēto & la-  
pidibus preciosis, lignum, fœnum & stipu-  
lam superstruxerint, non tamen continuo à  
fundamento recesserunt. Et rivulus, tam-  
etsi longo cursu, contracto limo & sordibus,  
nitorem illum & puritatem qua in ipso fon-  
te, aquaque fonti proxima spectantur, co-  
inquinaverit & conspurcarit, non tamen à  
fonte alienus & sejunctus habetur: sed ibi  
curandum, ut pro ligno, fœno & stipula,  
aurum, lapides & gemmae in eodem aedifi-  
cio, superque eodem fundamento reponan-  
tur: & hic, ut aqua rivi qua potissimùm è  
fonte profluxit, servata eadem scaturigine  
quoad fieri potest, à limo & sordibus repur-  
genur.*

*Contrà*



Contrà autem, quòd omnes ij qui ob reprehensionem nonnullorum abusuum initio rejecti, conscientia impulsu in ratione docendi & forma ministerii aliquid immutarunt, ab Ecclesia defecisse dicuntur, & inter hereticos & schismaticos numerantur: videndum est, quàm id rectè & justè fiat. Ecclesia enim Christi caput est, & corpus. à capite non receditur, nisi per falsam & Scripturis sacris dissentaneam de capite Christo doctrinã: à corpore verò, nò per quamvis rituum & opinionum diversitatem, sed per solam charitatis defectionẽ

Quare, ut antè quoq; dixi, qui recta sententia de Christo, capiti junguntur: & charitatis & pacis vinculo, etiamsi opinionibus quibusdam & ritibus discrepent, reliquo Ecclesie corpori connectuntur: nullo modo ut schismatici & ab Ecclesia alieni habendi sunt, etiamsi ab alia Ecclesie parte potentiore, & gubernationem obtinente reiecti, & ab eorum societate & communionẽ separati videantur. Neq; enim quavis rejectio & separatio schismaticos facit, sed initia separationis & causa spectanda sunt: non enim separatio facit schisma sed causa.



*Hac de iis tantum loquor, qui hanc separationem iniquè ferunt, & omnibus votis pacem & conciliationem desiderant, & à quibus quadam ex parte externa communionem separantur, fidei tamen & charitatis vinculo conjunguntur, & ad omnem cõsensionem & communionem parati sunt, quam divinis institutis & mandatis non adversari arbitrantur.*

*At dicas, per paucos esse hoc animo praeditos. Plerique enim ex iis qui sibi ab Evangelio nomen sumpserunt, eam partem quae vetus Catholicorum & Romanae Ecclesiae nomen retinet: prorsus aspernantur, omnemque ejus communionem defugiunt, nec ut membrum ejusdem corporis amore & misericordia prosequuntur, sed ut Satanae & Antichristi corpus abominantur. Scio id equidem, & doleo: & quae ejusmodi sunt, quomodo à schismatis nota eximi possint, non video. Id certe scio, principes aliquot illius partis, atque adeo ipsum ducem, qui primus ad repurgandas sordes Ecclesiae facem praetulisse videtur, longè aliud non uno in loco scripsisse: ex quibus locis, quamvis id sit prater brevitas institutum unum & alterum subijciam. In excusatione quorundam articulorum me*



Quamvis, inquit, heu dolor, Roma pejus agatur quam conveniret, tamen nulla causa tam gravis est, aut erit unquam, qua merito se quis ab illa separare debeat: imò quāto pejus Romana Ecclesia habet, tanto magis illi & accurrendum & succurrendum fuerit, eiq; magis inhaerendum: nam discessionibus nihil proficies. Adde, quòd Christus propter Diabolum deserri non debeat. Et in disputatione Lipsiensi: Nunquam, inquit, mihi placuit, nec in aeternum placebit quodcunque schisma. Iniquè faciunt Bohemi, quòd se auctoritate propria separant à nostra unitate, etiam si jus divinum pro eis staret: cum supremum jus divinum sit charitas, & unitas spiritus. Et alibi: Bohemorum dissidium ab Ecclesia Romana nulla potest excusatione defendi quin sit impiū, & contra charitatem: nam hoc quod unice allegant, sese timore Dei & conscientia defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices viverent: hoc eos maximè omniū accusat. Si enim illi mali sunt, & tua vera charitatē ferveres, nō defugeres: sed etiā si in extremis malis esset, accurreres, fleres, moneres, argueres: nūquid & nos q ferimus onera, & ferè improbabilia



monstra Romana curia, ideo fugimus & discedimus? Absit, absit. Reprehendimus quidem & detestamur, oramus, monemus: sed non scindimus ob hoc unitatem spiritus, non inflamur adversus eam, scientes quod charitas super omnia eminent. Idem in resolutionibus: Pighardi, inquit, nostri vicini, heretici infelix populus, qui factore Romano gaudet, sicut Phariseus super publicanum, non autem compatitur. Scimus heu nostrum casum, & dolemus: non autem sicut heretici fugimus, & semivivum transfimus, tanquam alienis peccatis pollui timeremus: nos vero, quo miserius laborat Ecclesia, eo fidelius assistimus, & accurrimus flendo, orando, monendo, obsecrando: sic enim charitas jubet, alterum alterius onera portare.

Neque vero nescio, eum postea hanc cautionem longè contrario & acerbioe carmine commutasse sed importunis & absurdis quorundam hominum adversam se scriptis incitatum atque commotum, quos diffiteri non possumus, huic miserabili distractioni Ecclesia magna ex parte occasionem dedisse. Quanquam ne posterioribus quidem scriptis, cum à Pontificia bulla ferocior



factus est, Romanā Ecclesiam, in qua Rom.  
pontifex imperiū tenet, veram esse Christi  
Ecclesiam negavit: quamvis ejus guberna-  
tores, ut Papam, Cardinales, Episcopos,  
Doctores, non esse Ecclesie membra, sed ty-  
rannos & hostes proclamet. Ita enim scri-  
psit ad lectorem de gestis Augustæ: Quare  
ego coram te lector protestor, me colere &  
sequi Rom. Ecclesiam, in omnibus. solum il-  
lis resisto, qui nomine Ecclesie Romana Ba-  
byloniam nobis statuere moliuntur. Item  
adversus Bullam: Romana Ecclesie abun-  
de satis est gloria, partem esse parvam uni-  
versalis Ecclesie: curia potius Romana ista  
bulla est, &c. Et post comitia Augustana:  
Illa, inquit, vera Ecclesia Christi fundamē-  
tum & columna veritatis est, locus sacro-  
sanctus, in quo stat abominatio. & in hac  
Ecclesia Deus miraculosè & potenter ser-  
vavit baptismum, textum Evangelij, re-  
missionem peccatorum, sacramentum al-  
taris, ordinationem, claves, &c. Et in Ger-  
manico quodam libello, quem de fidei sue  
confessione senex edidit, in quo Romanam  
Ecclesiam seu Papisticam, ut vocant, hor-  
rendis verborum tonitruis percellit, hac ta-



men inter cetera loquitur: Non solum agnoscimus vos unam nobiscum ex vera Ecclesia prodixisse, verum etiam dicimus vos in Ecclesia esse & manere: imò vero in ea sedere & regnare, quomodo Paulus dixit Antichristum in templo Dei (non in stabulo vaccarum) successurum esse: verum de Ecclesia, vel membra Ecclesia non estis amplius, &c. Quae non prorsus dissentanea sunt illis quae supra ex Augustino adduximus. Quomodo vero atrocissimis dictis consentiant, in quibus non veram, sed Papisticam, non Apostolicam, sed apostaticam Ecclesiam, imò non Ecclesiam, sed synagogam Satanae, prostibulum diaboli, archimeretricem, scholam inferni (& quis omnia illa praeclara elogia enumerare possit?) appellat, non video, nec multum curandum, neque mirandum puto, si homo humana passus sit.

Hanc quoque Ioannis Calvinii, qui modo auctoritate apud suos Luthero non cedit, de Romana Ecclesia sententiam fuisse, vel ex epistola ad Iacobum Sadoletum constat: ita enim ibi scripsit: At cuius arrogancia est, inquires, jactare penes vos solos esse Ecclesiam, & eam adimere orbi universo? Nos vero, Sadolete, Ecclesias Christi eas quibus praesidetis esse non re-



gamus: sed Pontificem Romanum cum toto pseudo-episcoporum grege immanes esse lupos dicimus, &c.

Hæc illi. Sed plures horum discipuli & sectatores, ne id quidem admissuri videntur. nam superioribus diebus insignis quidam & Veteranus inter eos, ita disertè scriptum reliquit: Nos nomine Catholice Ecclesie optimo jure illis adimimus, nobis autem rectè vendicamus. Verum ego credo per multos in eo cætu esse, quibus hæc posterior acerbitas tum Lutheri, tum sectatorum ejus, minimè placeat: qui & etiam, cum à reliqui corporis societate rejecti ac pulsivi deantur, societatem tamen & communionem omnem Christianam cum toto corpore quam latè patet, animo ac voluntate colant. de quibus nobis nunc sermo est.

Eos verò qui per impiam de Christo Ecclesie capite & fundamento sententiam, à Christo capite separantur, & falsa persuasionem ab omni societate & communionem aliarum Ecclesiarum abstinentes, à Christi corpore se divellunt: verè hereticos & schismaticos dicendos & habendos existimo, neque ad ullam ve externam ve internam Ecclesie societatem pertinere puto: ut sunt varia & mul-



triplicia Anabaptistarum genera. Simples  
tamen inter hos & specie pietatis in errorem  
inductos, ut neque in Ecclesie societatem ad-  
mittere, ita nec damnare prorsus ausim, sed  
Deo incorrupto judici & mitissimo parenti  
judicandos relinquo.

Quicquid igitur in utraque hac Ecclesia  
parte, siue ea antiquo nomine Catholica, si-  
ue nuper nato Evangelica nuncupetur, in-  
tegrum, sanum, doctrina Evangelica & A-  
postolica traditioni consentaneum inve-  
nio, id ut Christi Ecclesie proprium vene-  
ror & amplector: eamque Ecclesiam, quod  
in fundamento verae & Apostolicae doctrinae,  
qua brevissimo illa fidei Symbolo contine-  
tur, consistat, nec impio schismate à reliqua-  
rum Ecclesiarum communione se separet,  
veram Ecclesiam, veraq; Ecclesie & Catho-  
lica Ecclesie Christi membrum esse judico,  
neque id tantum de Occiduis, sed etiam O-  
rientalibus Ecclesiis, ut Græcorum, eorumq;  
qui ipsorum instituta ferè sequuntur, ut  
Ruthenorum, Syrorum, Aethiopum & Ar-  
meniorum sentio: nisi me ab hac sententia  
gravior auctoritas, rationesque validiores  
dimoveant. Neque ad hanc unitatem Ca-  
tholica



tholica Christi Ecclesie divellendam & dis-  
srahendam, caeremoniarum aliquot & qua-  
stionum diversitatem valere puto, modo in  
fundamento fidei cum capite Christo, & in  
sincera charitate cum corpore ejus, quod est  
Ecclesia, communio & societas retineantur.

In primis autem odi factionum illa odio-  
sa & è Tartarousque emissa nomina, cum  
hi alios Papistas, Antichristianos, Satanæ  
ministros, hostes doctrinae Christi: illi verò  
contrà, hos Hæreticos, Schismaticos, Apo-  
statas, Ecclesie Christi hostes appellant: ut  
quæ nihil aliud quàm exitiali schismati &  
miserabili dilacerationi Ecclesie, pabulum  
& nutrimentum suppeditant.

Neque verò ita partium studium vitan-  
dum puto, ut utraque parte improbata, no-  
vam quandã & neutralem (quam vocant)  
sectam introducere videar: sed eam tantùm  
partium addiotionem improbandam duco,  
quæ libertatem & æquitatem judicandi præ-  
pediat, qua videlicet à vitiis & erroribus,  
quibus neutra pars omninò immunis est, cõ-  
siderandis & reprehendendis avoceris: &  
ad ea quoque in altera parte recta & sana  
sunt aspernanda, eamque hostili animo per-



*sequendam compellaris.*

*Quin potius hæresibus, quæ per impia de Christo dogmata à capite Christo, & nefario schismate ab eius corpore recesserunt, dånatis, in utraque hac parte qua fundamentum religionis retinet, ita versandũ existimo, ut si non per omnia in ritibus & sententiis conveniatur, charitatis tamen communio firmiter retineatur, & ad plenam quoque solidamque concordiam constituendam omnĩ studio contendatur. Hoc ego officium piĩ viri, suæque salutis consultum volentis, his perturbatissimis periculisque plenissimis temporibus, esse judico. Quod qui præstent, eos verè pureque Catholicos esse & dici posse arbitror. Namque religio vera sinceraque inter duo mala mihi posita & constituta videtur.*

*Extant enim hodie potissimum duo hominum genera: quorum alteri, quòd Ecclesiam nõ paucis maculis respersam, & paulatim contractis vitiis deformatam vident, omnẽ ejus statum labefactatum & convulsam cupiunt: & dogmata Lutheri, non quæ sanior adhuc & tranquillior, sed postea Bulle impetuperculsus, irritatior & commotior, asseruit, quo vis modo confirmanda & defendenda du-*



da ducunt: id quod à suis sectatoribus (quos habet nec pauciores, nec obscuriores) Calvino quoque accidit, quos fortassis rectè Anticatholicos & Lutheranos seu Calvinianos appelles.

Sunt alij ex adverso, qui quòd nò pauca ex ipsa antiquitate adhuc apud se reliqua vident, presentem Ecclesiam statum, quàmvis corruptum, & paulatim subortis abusionibus contaminatum, omnino tamen suo loco manere volunt, neque quicquam, quamvis id veterum decretis consentaneè fieri possit, immutari patiuntur: pontificem verò Romanum, quem Papam dicimus, tantum nò Deum faciunt: ejusque autoritatem non modo supra totam Ecclesiam, sed supra ipsam Scripturam divinam efferunt, & sententiam ejus divinis oraculis parem, imò infallibilem fidei regulam constituunt: hos nò video cur minus Pseudocatholicos & Papistas appellare possis.

Inter hos qui maximè hodie in Ecclesia eminent, tertium quoddam genus hominũ, quamvis ferè occultũ & obscurũ reperitur: qui cum in alterutra parte versari cogantur, tamè nulli parti ex animo addicti quicquid utrobique rectũ & Catholicæ fidei & observationi consentaneum est amplectentes:



que verò his contraria, & modum mediumq̄  
 (ut in contentionibus fit) excedentia depre-  
 henduntur declinantes, veram sinceram &  
 divinis literis Catholicaq̄, Ecclesia traditio-  
 ni congruentem pacem & concordiam om-  
 nibus votis exoptant, & ad eam concilian-  
 dam omnem suam operam & studium con-  
 ferre parati sunt. Atque hoc animo si plures  
 in utraq̄ parte pradii sint, facilius & citius  
 pax futura, & concordia coitura sit. Nam  
 nisi talium hominum consilium valeat, nul-  
 la conciliationis spes est: & tales si audian-  
 tur, de pacificatione desperandum non erit.

Sed proh dolor, in utraque parte plures,  
 ij, potentiores, ita animo comparati viden-  
 tur, ut hostilem animum in se mutuò indu-  
 erint: & cum pacem utrinque optare vide-  
 antur, eam pacem volunt, non quæ utraque  
 parte salva, mutua conciliatione & confæ-  
 deratione constet, sed quæ cum alterius &  
 adversæ partis oppressione & dejectione cõ-  
 juncta sit. Videtur enim mihi hæc Ecclesia-  
 rum divisio persimilis esse dissensionì civili,  
 in qua pars altera ab ijs qui Rempublicam  
 tenent, corruptis legibus, & iniquis se cõstitu-  
 tionibus pressam quæstam, dũ conditiones pro-  
 pone-



poneret, repulsa & damnata, & quasi secessionem facere coacta est. Hinc Ecclesia, Republica in duas partes divisa, crescente in dies dissensione, res in atrocissimum odiū & quasi civile bellum erupit, ita ut ex his plerique iniqua jam petere, illi ne aqua quidem concessuri videantur.

Habet autem utraq; pars suos propugnatores, qui partis suae studio incitati, quovis modo causam suā defendere & tueri conantur: & hostili animo adversam partem insectantes, in ea perdenda & extinguēda omni studio laborant: cum tamē in utrisq; castris boni & equi viri reliqui sint, qui communis Reipublicae amantes, ad pacem & concordiam mutuam, & Reipublicae ad priscas leges, quibus initio constituta fuit, instaurationē omnia sua consilia & studia conferunt.

Ex quo apparet, duobus modis in utrislibet castris aliquem versari posse: uno modo, ut unius partis propugnatorem, & alterius partis infestū hostē: altero modo, ut intercessorem & pacificatorē, qui quamvis in alterius partis castris maneat, alteram tamen partem ut ejusdem Reipublicae membrum amore prosequitur. Quare non ad ejus ever-

sionem



onem sed conciliationem potius & confederationem consilia sua refert: quo fit, ut qui in adversa parte prudentiores & equiores sunt, eum non ut hostem & inimicum, sed ut civem & amicum habeant. Fit quidem non raro, ut fervente inter utrosque pugna, utrinque plagas accipiat: qui tamen si aliquando se collegerint, ardorque ille pugnae defuerit, bene ab eo sibi consultum, gratiamque illi se debere fateantur.

Hinc tamen apparet, quam deploranda & periculi plena sit conditio eorum, qui hanc viam ingredi, ac pacificatorum munus tueri volunt. Nam cum duae haec tanquam factiones universum penes Europa Christianismum inter se partiti sint (quamvis altera in duas quoque partes, easque fere pares, dissecta sit) fit, ut plerisque in locis, acrioribus illis partium patronis gubernationem tenentibus, vix a quis his & moderatis hominibus locus detur: imò plerumque utrisque adversariorum loco habentur, & exilii, fortunarum, capitisque periculis exponuntur. Aegre enim illi quenquam in sua societate admittunt, qui non per omnia illis consentiant, omniaque apud ipsos recepta probe, alteramque partem ut



tem ut inimicā hostiliter oppugnet. Quā-  
vis alia aliis loca hac in parte mitiora &  
equiora sint, eaq̄ de causa tranquillitate  
quoq̄ majore frui videmus: quibus in locis  
preclare cum hujusmodi pacis amantibus  
viris agitur, si utcunq̄, quietæ sedes conce-  
dantur, qui ut graviora pericula evadāt,  
levitatis certè, inconstantia, timiditatis &  
adulationis notas vix effugiunt, cū illis  
utriq̄ parti adversari, his verò utriq̄ parti  
assentari velle judicentur: ad honores ve-  
rò, dignitates & opes consequendas, aditus  
ferè omnino illis interclusus est, quò nisi  
magnatum & potentum favore, quos sibi  
ferè partes vèdicarunt, non pervenitur:  
sed præmia sibi in cælesti Hierusalē, civita-  
te aeternæ perpetuaq̄ pacis reposita esse sciāt.

Inanis autem mihi eorum oratio vide-  
tur, qui his Religionis dissidiis se à pietatis  
studio retardari & avocari queruntur. Sã-  
tis enim ampla pietatis exercenda materia  
in iis rebus, quibus in rebus utrinq̄, cõveni-  
tur, proposita est, Nã de fide in Christū mor-  
tuū & resuscitatū pro nobis collocanda, &  
charitate Deo & proximo exhibenda, cõtro-  
versia nulla est. Porro in his duobus capiti-  
bus pieta-



bus pietatis summa consistit. Quid enim est aliud pietas, quàm officium prestare Deo? quod officium quid aliud est, quàm ejus obtemperare mandatis? Porro mandata ejus, Apostolo teste, gravia non sunt: videlicet ex Deo natis, & ejus spiritu traditis. Hoc est, inquit, mandatum ejus, ut credamus in nomine filii eius Iesu Christi, & diligamus alterutrum.

Non igitur pietas subtile arduarum & difficilem questionum disceptatores, & curiosos latentium & abditarum rerum investigatores, sed simplices brevissimi verbi, hoc est mortui & resuscitati Christi professores, & fidos voluntatis suae executores requirit. Propè, inquit Paulus, est verbum in ore tuo, & corde tuo: hoc est verbum fidei quod predicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus suscitavit illū à mortuis, salvus eris &c. Et idem: Nemini, inquit, quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem implevit. Et ad Timotheum monet, non intendendum fabulis & genealogiis infinitis, quae quaestiones exhibent magis quàm  
 edifica.



adificationem Dei quæ est in fide: finem autem & complementum totius præcepti esse charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Opportuna igitur & observatione digna est oratio Irenæi, quæ extat lib. 2. de hæresibus. Melius est, inquit, nihil omnino scientem quempiam: ne quidem unam causam cuiuslibet eorum quæ facta sunt, cur factum, & credere Deo, & perseverare in eius dilectione, quæ hominem vivificat, nec aliud querere ad scientiam nisi Iesum Christum filium Dei, qui pro nobis crucifixus est: quam per questionum subtilitates & multiloquium in impietatem cadere. Cui & hæc Hilarij sententia consentit lib. 10. de Trinitat. In simplicitate fides est: in fide iustitia est: In confessione pietas est, non per difficiles nos Deus ad beatam vitam questiones vocat, nec multiplici eloquentis facundi genere sollicitat. In absoluto nobis ac facili est aternitas, Iesum suscitatum à mortuis per Deum credere, & ipsum esse Dominum confiteri.

Non est igitur, quod quis vel inquietorum hominum contentiones, vel rerum credendarum & faciendarum difficultates & per-



plexitates, ignavia & impietati sua prae-  
 xat. Sunt quidem nonnullae quaestiones, quae  
 à curiosis & inquietis hominibus excitatae,  
 etiam doctis & piis viris negocium faciunt.  
 In his ea moderatio adhibenda videtur, ut  
 primum de iis nihil temerè, praesertim quod  
 sit manifesto Dei verbo contrarium vel ali-  
 enum, statuatur: neque propria sententia  
 cōtentiosè & pertinaciter obtrudatur & de-  
 fendatur, dissentientes verò non superbè &  
 contumeliosè repellantur.

Atque utinam his temporibus audiatur  
 B. Augustinus, qui pios quosdam & religio-  
 sos viros, de praedestinationis mysterio non  
 satis inter se convenientes, his verbis cōmo-  
 nefacit: Nunciatum est mihi de vobis, fra-  
 tres, ab aliquibus, qui in vestra congregati-  
 one sunt, & ad nos inde venerunt, quod de  
 hac re dissensiones in vobis sunt. Itaq; dile-  
 ctissime vos perturberet hujus quaestionis obscu-  
 ritas, moneo vos primum, ut de his quae in-  
 telligitis, agatis Deo gratias. Quicquid est  
 autem quò pervenire nondum potest vestrae  
 mentis intētio, pacem inter vos & charita-  
 tem servantes, à Domino ut intelligatis o-  
 rate: & donec res ipsa perducatur, ad ea quae  
 non-



nōdum intelligitis, ibi ambulate quō pervenire potuistis. Hac admonet apostolus Paulus, qui cū dixisset nondum se esse perfectum, paulo post ait: Quot quot ergo perfecti sumus, hoc sapiamus: id est, ita nos esse perfectos, ut nondum ad perfectionem qua nobis sufficit, venerimus. continuoq; subjunxit. Et si quid aliter sapitis, hoc quoque Deus revelabit: veruntamen in quod pervenimus, in eo ambulemus.

Huic consilio Augustini, imò verò Apostoli, si quidam obtemperarēt, melius & publicæ quieti, & suæ tranquillitati consulerēt.

Habet igitur hīc pius animus, ubi fervēte hoc astu contentionū nō nihil acquiescat. Sed quia difficile est, ut non aliquando viros, præsertim literatos, hic astus involvat: ea cautio & diligentia adhibēda erit, ut neque præpostero pacis & quietis studio vel nimio periculorū metu veritatem prodant & conscientiam ledant: neq; rursus in scito veritatis zelo, vel tenera nimis cōscientiæ prætextu, nō necessariis de causis vel publicam pacem vel privatam quietem perturbent.

Hac de officio boni piiq; viri, sed privati, nulloque publico in Ecclesia munera



fungentis, dicta sint. Eorum verò qui publicum docendi & res divinas administrandi officium tenent, alia ratio est. Ad eos enim prætereà pertinet, ut perversas opiniones & falsos cultus, si quos in sua parte obtinuisse perspexerint, neque ignavè dissimulando alant, neque importunè insectando confirmant: sed modò prudenter de iis corrigendis dispiciant, modò etiã si res ferat, prophético spiritu afflati liberè constantèrque apertas divina legis transgressiones redarguant, neque ullum hujus rei causa periculum defugiant: exemplo Zachariæ filij Ioia-  
da, qui inditus spiritu Dei, populum & Regem palàm transgressionis & defectionis accusavit: quare regis Ioa jussu à populo in ipso templi atrio lapidatus occubuit.

Si quis igitur hujusmodi munere fungens suæ partis Ecclesiam tyrãnide pressam, eamque periclitantem invenerit, nõ dubium, quin aperte tyrannicis & impiis edictis, quibus aut falsa doctrina, aut impius cultus stabilitur adversari, & pro suo officio intercedere debeat. Quòd si ea de causa civitate, hoc est Ecclesia ejus communionem pellatur, non nego quin suis se armis, id est, divinis  
& Ec-



& Ecclesiasticis scriptis adversus tyrannorum criminationes & persecutiones tueri possit: itaque tyrannidem ipsam, qua Respublica premitur, non ipsam Rempublicam tyrannide pressam oppugnabit: quomodo olim Thrasybulus occupata Atheniensium Republica à tyrannis profugis aliquot civibus collectis, tyrannis bellum intulit, non ut Atheniensium civitatem, suam patriam, everteret sed ut eam in libertatem assereret. Quod si, ut non raro fit, à tyrannorum factione interimatur, habet exempla prophetarum: ut quorum imitatur f. Et, eorum quoque premia consequatur.

Cum autem supra de concordie & pacis studio nonnulla dixerimus, hoc modo admonendum duximus, in ea concordia & pace concilianda id cavendum esse, ne quævis tranquillitas & quies, quæ etiam in summa servitute & corruptissimo Ecclesia statu esse possit pro Christiana pace suscipiatur. Ea enim demum vera, solida & Christiana pax est, quæ cum Dei gloria & voluntatis ejus obsecutione conjuncta, & ab omni corruptela cælestis doctrinae & divini culcus se junctæ est. Quare nequaquam hic quorundam



hominum, qui Reipublicæ consiliis adhibentur, studium probandum est: qui rerum ordine in verso, humanis divina, & terrenis caelestia cedere volunt: & religione tanquã Lesbia regula, ad presentem qualemcũque Reipublicæ statum componendum & tuendum, utendum censent: cum Rempublicam & Ecclesiam lapsam & deformatam, non ad religionis normam erigere & constituere, sed Religionem ad Reipublicæ & Ecclesiæ qualemcunque structuram sarcendam & fulciendam inflectere & detorquere nituntur: eiq; per verso & præpostero studio pacis & tranquillitatis publicæ nomẽ prætexunt: eoq; prætextu sumpto, omnes ad vitiorum correctionem & legum divinarum instaurationem (sine quibus vera, solida & firma inter Christianos pax & concordia constare non potest) adhortantes, ut turbulentos, seditiosos & pacis publicæ perturbatores crudelissime insectantur.

Sed de officio Principũ & Pontif. quibus Reipublicæ & Ecclesiæ procuratio & summa administratio commissæ est, nunc non est dicendi locus: quorum plerosque, proh dolor hodie videmus, in curando hoc exitiali Ecclesiæ



clesia dissipata & dilacerata morbo, non bona consilia, neque apta remedia sequutos. Nam cum à radice & causa, morbi curatio fieri deberet, eam non modo non evellendam & resecandam, sed potius firmadam & stabilendam curarunt: ea tantum quæ in præsens molestiam aliquam, quæ tamen salutaris esse poterat, adferebant, auferre & è medio tollere statuerunt: & ut delicati agri solent vera remedia, quod amaroris aliquid adjunctum habeant, aspernantes, temporariam tantum levationem adhiberi voluerunt. Quo factum est (quod in febricitantibus, aqua potu fervorem morbi lenire volentibus, fieri consuevit) ut ad tempus non nihil agritudo levare videatur. sed postea impetu majore & cruciatu vehementiore recurrat, & periculosius recrudescat. Cujus rei hodie triste exemplum in amplissimo regno videmus, in quo præposteræ hujus curationis fructus perspicitur.

Nec obscurum est, quantum momenti in Ecclesiæ morbis sanandis in eo positum sit, si Reges, Principes, & magistratus, officium suum quod Ecclesiæ Dei debent, & recte intelligerent, & sedulo exequerentur. Sed



pleriq; omnes consiliis & cohortationibus male in hac causa consultorum hominum usi & incitati, non ad veram morborum Ecclesiae curationem, sed ad partis cui praesunt defensionem, & adversariae partis eversionem, potestatem suam convertunt. Sunt tamē nonnulli Principes, summo studio & maxima animi propensione Ecclesiae suae procuratori commissa consultū volentes: qui cum omnino praesentem Ecclesiae statum correctionis alicujus indigere perspiciant, in tantis opinionū varietatibus, & animarum distractionibus, quid potissimum sequantur nō vident: & multis gravibusq; vitiis, quibus utraq; factio scatet, deterriti & debilitati, ab omni prorsus Ecclesiae emendatione se cohibēt: qui fortassis eam emendationem cum aliqua utilitate & successu suscipere possent si equiorū hominum, & hanc regiam, quam utcumque monstravimus viam sectantium consiliis uterentur. Sed his non modo accessus ad Principes intercluditur, & auctoritas omnis adimitur: sed quoad fieri potest, cōtētio, odium, levitatis & timiditatis criminibus objectis, vel suspicionibus injectis, cōciliatur.



Sed hæc huius loci non sunt. Privati tantum hominis officium indicandum suscepimus. qui tamen non ita privata sua quietis rationem habere debet, ut non pro tempore & conditione sua in commune consulat: & in ea consultatione non rei familiaris conservationem, non famam, non opes, non amicitias & cognationes, sed Deum tantum & conscientiam ex Dei verbo rectè institutã proponat. Quod si consilii sui nullum usum esse viderit, juxta Propheticum dictum, in silentio & spe presidium sibi & arcem collocet: exemplo piorum in Iudæa virorum, qui Phariseis & impiis Pontificibus gubernationem tenentibus, populoq; tanquam naribus tracto impios duces sequente, ipsi taciti Scripturæ oraculis instituti, & Spiritus Sancti afflatu docti, redemptionem Israclis expectabant.

Plura quidem & uberiora de hoc argumento dici possent: sed his paucis satis multa mihi dixisse videor. Dedi enim operam quantum potui, ne quid prætermitterem, quod ad causæ expositionem ac confirmationem, & ad objectorum anticipationem & refutationem pertineret. Non ignoro



tamen, ab ingeniosis & acribus hominibus  
 multa & speciosa in adversam partem dici  
 posse: quos ego rogo & moneo cum Apostolo,  
 ut ita commoveantur, ne nimia ita culpam  
 sibi accersant: & animo tranquillo & pacato  
 in cubilibus suis, rem cum animo suo expen-  
 dant & cogitent. Quod si omnino contra di-  
 cendum putet, eundem quem ego animum, id  
 est equum, moderatum, amicum, & frater-  
 num exhibeant. Nos contra, si vita suppetat,  
 aut levioribus objectis respondebimus: aut  
 etiam meliora docentibus & saniora monē-  
 tibus, libenter obtemperabimus.


Optatus Afer ad Donatistas.

**N**obis & vobis Ecclesiastica una est &  
 esse debet cōversatio, etsi hominum  
 litigant mentes, non litigant sacra-  
 menta. denique possumus & nos dicere, pares  
 credimus & uno sigillo signati sumus, nec a-  
 liter baptisati quàm vos, nec aliter ordinati  
 quàm vos. Testamentum divinum legimus pa-  
 viter, unum Deum rogamus, oratio Domini-  
 ca apud vos & apud nos una est. sed scissu-  
 ra facta est partibus hinc inde pendentibus  
 sarcina, fuerat necessaria.

LECTO-



## LECTORI S.


 Via vacabant paginae reliquae, visum  
 est libros indicare, qui de pace Eccle-  
 siae scripti sunt, editi, non editi, quorū  
 quidem copia facta nobis est ab ami-  
 cis: nec dubito multo plures esse, si quis per vesti-  
 gare velit, à viris piis, doctis, moderatis, patria  
 amantibus, ut itidem isti, conscriptos; pro captu  
 sensu & mensura cuiusque. Pius, inquam: quid  
 enim magis pium, sanctum, salutare; orbi Chri-  
 stiano, regno huic magis opportunum, quam ea  
 proponere quae ad concordiam inter Christianos  
 conciliandam pertinent, siquidem experimento  
 didicimus, vinculum inter cives nullum arctius  
 religione reperiri; odium certè majus nullum  
 quam quod ex dissidio religionis. Pium, inquam:  
 etenim cogitatio haec non nisi in piorum homi-  
 num mentes cadere potest, nec quisquam, sat  
 scio, aspernabitur, nisi qui vel improbus, vel im-  
 peritus, vel utrumque. Boni omnes probabunt  
 consilium, laudabunt conatum in retanti mo-  
 menti tot & tam illustrium virorum utriusque  
 partis, quos certè vel impudentia vel impruden-  
 tia in simulare, quasi rem aggressi sint Deo non  
 gratam vel planè desperatam, scelus est. Melius  
 enim est, inquit Salvianus, nihil in expertum  
 relinquere, quam morientem non curare: ma-  
 ximè, quia nescio an in extremis aliquid ten-  
 tare medicina sit, certè nihil tentare flagitium.



*A*firmare verò aliquid fieri non posse cùm nihil sis molitus, extremae dementiae est. *A*gamus serio pœnitentiam; in primis Dei gloriam & dilectionem proximi ponamus ob oculos, partium studium vitemus; privati commodi spem omnem abijciamus, consulamus in commune; nulli præterquam docti & moderati ad hoc colloquium adhibeantur, accedat legitima summi magistratus auctoritas: quis tandem de exitu dubitabit? *M*agnum innocentiae testimonium, etiam in rebus malis bene sperare. *C*ontrà, improbis hominibus omne in turbido consilium. *S*ed præcipuè Deus, verae pacis auctor, obnixè rogandus, ut nostris conatibus benedicat, *E*cclēsiā deniq; suam ab omni deinceps schismate, rixa, odio, contentione immunem præstet; *p*er Christum Dominum ac Servatorem nostrum, cujus regnum in secula seculorum, Amen.

DOCTO.



DOCTORVM AL-  
QVOT AC PIORVM VIRO-

rum Libri & Epistolæ: ex quibus videri potest,  
quàm non sit difficilis controversiarum in reli-  
gione conciliatio, si controvertendi  
studium vitetur.

**S**ententiæ Phil. Melanthonis, Mar. Buz-  
ceri, Casp. Hedionis, aliorumq; Ger-  
mania Theologorum de pace Ecclesiæ,  
rogatu Regis Francisci I. conscripta, & à  
Guilielmo Bellaio illustri viro ejusdemque  
Regis apud Casarem legato adlata, anno  
1534. nuper verò ex autographis ipsis descrip-  
ta, & nunc primum edita, 1607. in 8.

Acta prioris Colloquii in Comitibus Impe-  
rii Ratisbonæ habiti: hoc est, articuli de re-  
ligione conciliati & non conciliati omnes,  
ut ab Imperatore ordinib. Imperii ad judi-  
candum & deliberandum propositi sunt  
Argentorati 1541. 4.

Disputata Ratisbonæ in altero Colloquio  
1546. maximè de Iustificatione. Item Tra-  
ctata & decreta de concilianda religione  
in Comitibus Ratisbonensi 1541. Spirensi, an-  
no 44. Vormatiensi, anno 45. & Augu-  
stano, anno 48. in 4. 1548.

Confessio



*Confessio fidei exhibita Casari Carolo V. in Comitibus Augustæ 1530. & ad eam Apologia Phil. Melanthonis. in 8. 1559.*

*Articuli qui debuerant in Concilio apud Mantuam vel ubicumq; futurum esset, exhiberi nomine nostræ partis: & quid nos recipere vel concedere possimus vel non possimus. Scriptum Lutheri nunquam editum Ex biblioth. Pith.*

*Prefatio Melch. Hittorpii ad librum de Divinis officiis: qua ostendit, unde profecta sint tam variæ de una religione sententia, ritus ac liturgia. in fol. Colon. bis aut ter edita, apud Quentel.*

*De dissidio religionis nostrorum temporum, & collatione veteris & novæ liturgie: Auctore Ioach. Camerario. 8.*

*Missæ Latina vetus quæ ante 700. annos in usû fuit in Ecclesia Gallicana & Germanica. Argentorati apud Christ. Mylium. 8. 1557.*

*Consilium delectorum Cardinalium de emendanda Ecclesia, Pauli III. jussu conscriptum anno 1538. Accessit æquitatis discussio super dicto Consilio, ad tollendam inter Germanos in religione discordiã 1539. 8.*

*Erasmus de amicabili Ecclesia concordia Lutetia. 1533. 8.*

*Netho.*



*Methodus concordiae Ecclesiasticae, Vvici-  
celii. Lipsiae 1537. 8.*

*De pace Christianarum Ecclesiarum cō-  
stituenda, consilium moderati viri. Gene-  
vae 1566.*

*De dissidiis Ecclesiae componendis, Ma-  
thiae Bredenbachii. Antuerpiae, 1558.*

*Hadr. Turnebi V. C. ad Cypriani editio-  
nem praefatio Carolo IX. Regi inscripta. Pa-  
ris. 1564. f.*

*Delibatio Africana historia, sive Opta-  
tus Afer & Victor Vticensis, cum praefatione  
& annotationib. ex Franc. Balduini com-  
mentariis rerum Ecclesiasticarum. Paris.  
apud Mich. Sonnum, 1569. 8.*

*Eiusdem Balduini Epitome Collationis  
Carth. habita: una cum libello de reforma-  
tione Ecclesiae. 8.*

*Epistola Stan. Orechovii ad Car. Hosium,  
ubi quaritur de non admissis vel expecta-  
tis in Concilio Tridentino Graecis Episcopis  
& Ecclesiis. in 8.*

*Scripta M. Buceri ad reformationem  
Ecclesiae Anglicanae spectantia, cum à Rege  
Eduardo VI. eum in finem in Angliam ac-  
cessurus esset: separatim primum, in 4. tum  
verò inter opera ipsius edita. in fol.*



*Prefatio Episcoporum Angliae ad Liturgiam Anglicanam: in qua de ritibus, ceremoniis & disciplina veteri servata, sol. iis reiectis qua tolerari non poterant, ratione reddunt. 8. Londini saepe edita.*

*Canones Ecclesiastici auctoritate Regis & Episcoporum Angliae promulgati, ex Synodo Londin. anno 1604. apud Ioannem Norton, in 4. 1604.*

*De diversis Ministrorum Ecclesiae gradibus. sicut à Domino fuerunt instituti, & traditi ab Apostolis, ac perpetuo omnium Ecclesiarum usu confirmati, l. b. unus: auctore Hadr. Saravia Belga. Londini apud Geor. Bishop. & Rod. Newbury. an. 1590. 4.*

*Liuret attribué à Farel premier Ministre de Geneve, auquel est demandée seulement la reformation de la Liturgie, pour parvenir à une reconciliation. in 16. 1537.*

*Discours sur le fait de la reformation de l'Eglise par Fran. Balduin Iurisconsulte, & par luy enuoyé à un grand Seigneur de France. Paris. 8. 1564.*

*Les actes du Colloq. de Poissy de l'an 1561. auquel on tomba d'accord. de quelques points, & peu s'en faut du sacrement de l'Euchari-*



*Eucharistie: dans le liure intitulé, Commentaires de l' Estat de la religion & républiq<sup>s</sup>, sous les Rois H. & Fr. II. & Charles IX. in 8. 1567.*

*Actes & memoires du Concile de Trente des années 1562. & 63. pour monst<sup>r</sup>er que les Rois de France deslors ont requis une reformation de la liturgie de l' Eglise. 1607. in 8. & 12.*

*Des differens & troubles advenās entre les hommes par la diversité des religions, par Louys le Roy, dit Regius. Paris. chez Fed. Morel. 1567. 8.*

*De officio pii ac publicæ tranquillitatis verè amantis viri in hoc religionis dissidio: auct. G. Cassandro. 1561. in 4. & 8.*

*Traditionum veteris Ecclesiæ & sanctorum Patrum defensio adversus quorundā importunas criminationes, auct. G. Cassandro. Colonia apud heredes Arn. Birckmanni. 1566. 4.*

*Responsio ad calumnias quib. Georgius Cassander in Germanico quodam libello, Viæ commonstrator inscripto petulanter impetitur: in qua & de Eucharistia qua veterum sit sententia, obiter exponitur.*



Colon. apud heredes Arn. Birkmanni 1564.

Geor. Cassandri de articulis religionis inter Catholicos & Protestantes controversis, consultatio jussu Cass. Ferdinandi & Maximiliani II. conscripta. 1565. Colonia in 8. & Argentina iterum in 8. 1594.

Ejusdem Cassandri de communionem sub utraque specie. Colon. 8. 1564. Itemq; alia ejus opuscula ad religionem spectantia, quae brevi edentur uno volumine.

Advis d'un Theologien de G. sur le livre susdict. de Cassander, de officio p[ro]p[ri]i viri. non imprimè.

De extremis in Ecclesia vitandis, p[ro]p[ri]i cujusdam Theologi liber, nondum editus.

Epistola And. Dudithij sacrae Cas. Mejestatis Consiliarij ad Theod. Bezam V. C. in qua disputatur, an Ecclesia nom[en] vel soli Romanae vel soli Reformatae conveniat. Basilea 8. 1593. & alibi frequenter in Germania & Polonia.

Mutuus consensus Ecclesiarum Polonica[rum], videlicet Lutheranae, Calvinianae, Graecae, ex actis synodorum in Polonia habitorum, 1570. 1572. 78. & 1595.

Des signes sacrez & sacrifices de l'Eglise: par Mess. Jehan du Tillet, v[ic]aris Ev[angelic]ae de Meaux. in 16. 1562. Petri



*Petri Loifelerij Villerij summi Theologi  
Theses de libero arbitrio: cum praefatione ad  
Adrianum Mylium curia Hollandica presi-  
dem, qua ostendit non tantum in hac con-  
troversia, verum et aliis plerisque verbis po-  
tius, quam re ipsa Scholasticos et Evangeli-  
cos discrepare: hujusmodi vero controver-  
sias, si modo controvertendi libido cesset, et  
equivocationes à disputatione tollantur, fa-  
cile componi posse. Hac sunt ipsius verba. Ha-  
ga Com. 1587.*

*De fide Catholica Apparatus Io. Serrani:  
sive de principis religionis Christianae cō-  
muni omnium Christianorum semper et u-  
bique ratis. Paris. apud Pet. Metayer. in fol.  
1596. et in 8. 1607.*

*Scripta nonnulla in hoc argumēto à Pe-  
tro Baronio Gallo, Theologo Cantabrigiensi:  
nondum edita.*

*En l'Antimachiavel y a un Dialogue d'  
un Catholique et d'un Huguenot, montrant  
qu'à fonds nous sommes d'accord, et que  
la religion reformée est entiere dans la Ca-  
tholique. A Lion et à Geneve, in 16. et in 8.*

*Le penult. chapitre d'Apologie de M. le  
Pres. Gencillet pour ceux de l'Eglise refor-*



*mée, est intitulé: Moyen d'appaier les differens en la religion, in 8. 1584.*

*Sermon de l' Evesque de Rochester sur le sujet du gouvernement Ecclesiastique d' Angleterre, mis d' Anglois en Francois 1606.*

*Vœu pour la prosperité du Roy & du Royaume par Jean de Serres, à la fin duquel est une exhortation pour la paix de l' Eglise. A Rouan. 1597. 8.*

*Deux petis advis pour la paix de l' Eglise & du Royaume, chez P. Metayer 1597. & 1607. 8.*

*Traité de N. Seg. Theologien de Lausanne, monstrant en quoy gist le discord entre les Francois Catholiques & Reformez, & les moyens de les réunir, afin de viure deormais en bonne paix. 1593. non imprimé.*

*Examen pacifique de la doctrine des Huguenots: auquel est monstre qu' elle ne doit estre condamnée avant une nouvelle preuve: & qu' és principaux points & plus essentiels de la religion nous sommes d' accord: par un gentilhomme Anglois. 1590 8.*

*Advis*



*Aduis & dessein nouveau, sur le fait de la religion, pour estre propose au prochain Concile national, ou autre assemblée de l'Eglise Gallicane: par L. S. D. V. S. P. 1592.*

*Responce à la supplication adressée au Roy pour se faire Catholique, en laquelle est demandé le restablissement de la Liturgie, qui estoit en l'Eglise Gallicane au tēps de Charlemagne & de ses enfans. A Tours 1582. in 8.*

*Forme d'une conference, qui semble ne deuoit estre ref: sice par la uraye Eglise qui à la verité de son costé à celle qui s'en deuoie, afin de venir à union des differens qui sont en la religion: par M. D. L. P. 8. 1588.*

*Hugues Sure au dit des rosiers, Ministre, esrivant sur le point du sacrement de l'Eucharistie, si voir par l'Escriture, par les Peres & par les Scholastiques qui il se pouoit accorder. à Orleans 1566. 8.*

*Tho. Erasti Philosophi & Medici præstantissimi Theses de excommunicatione: in quibus de Synedrii Ecclesiastici auctoritate disputatur. Item an sit delinquentibus cana dominicæ usus interdiciendus. cum epistolis Bullingeri, Gualteri, aliorumq; Germaniæ & Helvetiæ Theologorum in hoc argumento. Londini 4.*



*Le Catholique reformé, contenant une déclaration des points esquels nous pouvons convenir avec l' Eglise Rom. & en quels points nous devons nous en de partir pour tousiours: par Guillaume Perkins Theologien de Cambrige. 1598. 8.*

*Relation de l' estat present de la religion en l' Europe, & des moyens & ruses que chacun Estat employe pour maintenir celle qui est une fois receue auquel aussi est sommairement touché des moyens de reünion entre les Catholiques & les Reformez: en Anglois, par le sieur Eduin Sandes. Londres 1605. 4.*

*Au second Discours excellent de feu M. du Fay Huraut Chancelier de Navarre, est traitté assez amplement de ce sujet: à sçavoir depuis la page 104. iusques à la page 132. de la 1. edition 1591. 8.*

*Amiable aduis sur la diversité des opinions en la religion par Rod. le Maistre. Paris, chez Sonnius. 1601. 16.*

*Auis en forme de Paradoxe sur les differens de la religion, par le Sieur d' Inf. H. Secretaire du Roy. in 8. 1585. avec la censure de feu M. Rose Evesque de Senlis.*

*Disca*



Discours au Roy, pour un Concile national, avec la Suite, servāt de replique à quelques cōtredisans par Monsieur R. S. Paris. 1607.

Moyens pour parvenir à la recōciliation tant. desirée entre les Chrestiens, tirez de l'Esriture sainte & des Peres par le Sieur d'Arp. Grau. non imprimé.

Fr. Hotmanni I. C. modesta ac moderata de sacramento Eucharistia sententia Lugd. 1566. 8.

Diallacticon viri boni & literati de veritate, natura atque substantia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. 1557. Argentina. 8. in cujus libelli prafatione hæc verba sunt:

Pacem aliorum querere pulcrum est, & habet certam promissionem Dei, Beati pacifici. Sed vereor hoc dum cupide sector, ne quod his qui pugnas dirimunt, idem mihi quoque accidat. Illi dum aliorum saluti consulunt, ipsi reportant vulnere. & ego dum operam docti dissidentes redeant in gratiam, ab ipsidem nullam fortasse inibogratiam. Id sit sit, illius exemplo me levabo qui dixit: Si hominibus placuisssem, Christi servus non essem. Tale ac stultum est placere.



*Dialogus de statu turbulento hujus seculi ex specula Halcyonia. 1591.*

*Fr. Junij Bitur. Eirenicon, sive de pace Ecclesie Catholicae. 8. 1593.*

---

## HIERON. ZANCHIVS

MAGNI NOMINIS THEOLOGUS in præfat. ad Confess. suam. editam Neostadij Palat. apud Matth. Harnisch. in 4. 1585. habet ista verba.

**Q**uamquam nescio quo singulari Dei beneficio hoc adhuc boni in Ecclesia Romana servari nemo non videt nisi qui videre non vult: quod nimirum, sicut semper, sicut nunc etiam constans & firma in vera de Deo neque persona Domini nostri Iesu Christi doctrina persistit, & baptizat in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, Christumque agnoscit & prædicat pro unico mundi Redemptore, futuroque vivorum & mortuorum iudice: qui veros fideles secum in æternam vitam recepturus, incredulos autem & impios in æternum ignem cum Diabolo & Angelis ejus ejecturus sit.



fit. qua caussa est cur Ecclesiam hanc pro  
Ecclesia Christi etiamnum agnoscam: sed  
quali? qualis & ab Osea aliisque Prophetis  
Ecclesia Israël sub Ieroboamo & deinceps  
fuisse describitur, &c.

---

Idem Zanch. in Confess. art. 8. de Ec-  
cles. milit. pag. 149.

**N**Eque ita iniqui sumus, ut inter  
quas non prorsus de omnibus rebus  
convenit, eas propterea Christianas  
Ecclesias esse negemus. Sicut enim non  
omnis consensus constituit Ecclesias, sic ne-  
que omnia dissidia tollunt, modo funda-  
mentum quod est Christus verus Deus &  
verus homo, verus & perfectus Servator,  
firmum teneatur, eoq; in summam doctrinam  
Apostolicam, qua in Symbolo traditur, con-  
sentiatur.

---



Idem art. 19. sequenti: pag. 157.

**N**on enim ab Ecclesia Rom. simpliciter & in omnib. defecimus, sed in illis dumtaxat rebus in quibus ipsa defecit ab Apostolica, atque adeò à seipsa veteri & pura Ecclesia: neque alio discessimus animo, quàm ut si correctà ad priorem Ecclesie formam redeat, nos quoque ad illam revertamur, & communionem cum illa in suis porrò cœtibus habeamus. Quod ut tandem fiat, toto animo Dominum Iesum precamur. Quid enim pro cuique optatius, quàm ut ubi per baptismum renati sumus, ibi etiam in finem usque vivamus? modo in Domino. Ego Hieron. Zanchius septuagenarius, cum tota mea familia testatum hoc volo toti Ecclesie Christi in omnem eternitatem.

---

Bucerus in præfat. ad acta. Colloq. Ratisb.


**C**avendum summo perèpius est, ne ullos qui Christi sunt, Christum vèrè invocant, abijciant, Christi societate exclusos. Quare & propter eos qui  
judi.




judicio Christi adhuc infirmiores sunt, nec  
quid in unoquoque vel dogmate vel ritu  
aut Christiana religioni proprium aut in-  
stitutioni utilius sit, dispicere possunt, ne-  
cesse est, ut in multis alteri alteris ut sua  
sententia ipsi rationem habeant, conce-  
dant, & stare eos vel cadere suo Domino  
permittant, modo de iis consentiant,  
in quib. Religio ipsa  
consistit.






































Jf 5705

ULB Halle

3

006 834 54X



TA → OL

V077

M.E.





INCIPIT  
EVANGELIUM  
SECUNDUM  
MATTHEUM

INCIPIT EVANGELIUM  
SECUNDUM MATTHEUM  
**D**IE IUGNIS BUBHAM DE OVI  
SIBI QUINIF OVI  
MARE MIE MIE OVI

INCIPIT






DE *g.* 117  
OFFICIO PII  
AC PVBLICAE TRAN-  
QVILLITATIS VERE A-  
mantis viri, in hoc Religionis  
dissidio.


AVCTORE G. CASSANDRO.

*Postrema editio, juxta priorem  
anni M. D. LXI.*



LUGDUNI,  
Sumptibus LAZARI ZETZNERI.

M. DC. XII,



Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.